J598 Goclenius, Rudolph
G576d Centuria thesium physicarum
Marburg, [1598]

9

55

Centuria Theſium phyſicarum
DE EBRIETATE:

Quam

ASPIRANTE DIVINA GRATIA:

PRÆSIDE

CLARISSIMO ACUTISSIMOQUE PHILOSOPHO,

Dn. M. RODOLPHO GOCLENIO, LOGICES in illuſtri Cattorum Academia profeſſore celeberrimo, publicè pro ingenii viribus defendendam ſuſcipiet

LUDOVICUS FLEMMINGIUS Treiſenſis Haſſus.



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typog. Acad.
cIↄ. Iↄ. xcVIII.

GRAVISSIMIS, SPECTATISSIMIS, INTEGERRIMISq́ue VIRIS,

Dn. Petro von Overbeck Colonienſi: ac *Dn. Hermeti* von Wingen Treiſenſi, fautoribus & Mecænatibus ſuis colendis.

Item, prudentiſſimo, omniq; rerum uſu præſtantiſſimo viro, *Dn. Henrico Flemmingio*, Reipub. Treiſenſis conſuli, patruo & à primo tempore ætatis εὐεργέτῃ benigniſſimo.

Nec non eximiis doctiſſimisq; viris, *Dn. M. VVernero Cancrino*, patriæ Reipub. γραμματεῖ ſyncero: *Dn. M. VVigando Heymelio*, ibidem ludimoderatori perquàm ſedulo, amicis de ſe optimè meritis.

Haſce ingenii ſui primitias in ſempiternum debitę gratitudinis ac humilis obſervantiæ τεκμήριον, dedicat, conſecrat & offert

RESPONDENS.

DISPVTATIO DE *ebrietate*.

THESIS I.

Um finis diſputationum ſcholaſticarum ſit, ut non ſolum jucunda, ſed etiam neceſſaria & fructuoſa in diſceptationem ſevocemus argumēta, non videmur metam diſputationum excedere, ſi quæ de ebrietate, ex τῶν φιλολογȣ́ντων libris haberi poſſunt, in theſium pugnum contracta, examini philoſophiæ ſtudioſorum ſubjiceremus.

2. Siquidem διάσκεψις eius non ſolum propter res phyſicas quæ in ea tractantur ſuaviſſima, verum etiam admodum fructuoſa & neceſſaria hoc tempore, ubi à nemine ferè ebrietas vitii loco habetur, ſed in felicitatis parte collocatur.

3. Inolevit enim conſuetudo apud omnes ferè homines, ut neminem propemodum ſibi devinctum cupiant, fidumq; amicum ac familiarem exoptēt, quàm qui ſtrenuum ſe potatorem prębeat, atq; impigrè (ut Lemnius venuſtè ex Plauto loquitur) cloacam vino proluat.

4. Quoniam autem nomina ſunt involucra rerum & ambiguitate illorum non bene diſcuſſa confuſio oritur, antequam τὸ τί ἐστι aperiamus de uſu vocabulorum ſoliciti eorundem ἐξήγησιν præmittemus.

5. Apud latinitatis autores ebrietas, intemperantia, crapula, vinolentia & ingluvies confunduntur, inter quæ tamen meritò diſcrimen debet haberi.

6. Intemperantia, ἀκρασία eſt immoderatus voluptatum

corporis cum adſunt, vel cum haberi poſſunt, uſus & appetitus: vel nimiùs, quòd eæ abſint dolor & triſtitia. Hoc vitium eſt generale, & ad omnes voluptates ſeſe extendit.

7. Vinolentia autem, οἴνωσις, Petro οἰνοφλυγία. 1. Petr. 4. v. 3. eſt immoderatus vini appetitus.

8. Crapula, κραιπάλη, ſive compotatio, πότος, Petro, 1. Petr. 4. verſ. 3. eſt nimia vini cibique ingurgitatio, & præter uſum & vires naturæ ſumptio.

9. Quidam judicant crapulam uſurpari de heluationibus per Metalepſin, propriè autem ſignificare materiam illam crudam reliquam ex heluationibus quæ afferat faſtidium & nauſeam in ventriculo.

10. Ingluvies, aliâs gula, græcè λαιμαργία, in cibo ſomnóve immoderata, & naturæ atque valetudinis fines excedens, delectatio, ſed in cibo maximè.

Circa ingluviem ſeu gulam tripliciter peccatur.

11. Qua in re tripliciter peccari docet Danæus Ethic. Chriſt. lib. 3. in cibi ſubſtantia, quantitate & qualitate.

1. 12. Subſtantia, ſi nimium cibus eſt exquiſitus & delicatus.

2. 13. Quantitate, ſi nimius eſt, & non ex legibus ſumptuariis.

3. 14. Qualitate, ſi nimium delitioſè conditus ſit cibus, qui tunc non cibus ſed cupediæ dicuntur.

15. Ab his omnibus diſtinctum quoddam vitium eſt ebrietas, quæ eſt ligamen rationis, ex nimia & immoderata bibitione proficiſcens.

16. De hac potiſſimum noſtram diſquiſitionem inſtituemus, ut igitur τὸ τί ipſius magis ob oculos ponatur, accuratiorem definitionem præmittemus, quæ talis ſit.

Ebrietatis definitio.

17. Ebrietas eſt inſignis & deformis animalium functionum

num depravatio, orta à vaporibus multis è ventriculo nimio potus calidi copia obruto, ad caput elatis, & cum cerebri, tum partium eius ſpiritusq; animalis temperiem calore alieno & noxia humiditate alterantibus & corrumpentibus.

18. Huius definitionis partes ſingulas prolixius explicabimus, eiusque veram intelligentiam ob oculos ſtatuemus.

19. Ebrietatem eſſe affectionem παρὰ φύσιν, nemo, niſi qui ſenſuum κριτηρίῳ contradicere velit, inficias ibit.

20. Tres autem ſunt affectiones, ut teſtis eſt Galenus & medicorum ſchola, à quibus læditur humanum corpus, atque de optimo vitæ ſtatu dejicitur, morbus nimirum, cauſa morbi & ſymptoma. Affectiones tres quibus læditur humanum corpus.

21. Harum talis eſt ſeries ſeu τάξις, cauſa antecedit & præparat ſeu excitat morbum, quæ eſt affectio alicuius membri à præcedenti excitata cauſa lædens eius actiones.

22. Morbus antecedit & ciet ſymptomata, quæ nihil aliud ſunt, quàm affectiones præter naturam in corpore natæ ex morbo.

23. Hinc neceſſariò ſequitur, ut aut ſit morbus aut cauſa morbi, aut ad morbum conſequens aliquid, quod ſymptoma appellant.

24. Cum autem ſit actionum læſio, ad nullam aliam affectionem niſi ad ſymptomata propriè referri poteſt.

25. Siquidem læſio illa neceſſariò præſupponit morbum tanquam cauſam lædentem à qua hæc effectio promanet, quis autem morbus ſit infra fuſius dicemus.

26. Quoniam ergo conſtat ebrietatem eſſe ſymptoma: Ulterius progrediemur, & de actionum læſione dicemus.

27. Actiones læſæ, ſicut & facultates actionum cauſæ ſunt triplices, ψυχικαὶ, ζωτικαὶ & φυσικαὶ, nos in definitione mentionem fecimus τῶν ψυχικῶν, quæ propriè in hoc ſymptomate læduntur.

Ebrietas animales functiones in omnibus ſensibus tum exterioribus tum interioribus, ac motu lædit et corrumpit.

28. Hæc animalis functionis læſio aut fit in ſenſibus, aut in motu.

29. In ſenſibus, nempe, vel exterioribus, vel interioribus.

30. Exterioribus, ut viſu, auditu, olfactu, guſtu, & tactu.

31. Interioribus, ſcilicet ſenſu communi, φαντασία & memoria.

32. In motu, nempe in muſculis voluntarii motus inſtrumentis.

33. Omnium horum lęſionem manifeſtam ebrietas oſtendit.

1. 34. Primò enim viſus ebriis non eſt integer & ſalvus, quia omnia videntur illis circumgyrari, quæ tamen quieſcunt, quemadmodum Polyphemus apud Euripidem inquit: ὅδε ὐρανὸς μοὶ συμμεμιγμένας δοκεῖ τῇ γῇ φέρεσθαι.

2. 35. Auditum corruptum eſſe teſtantur ſibili tinnitus, ſtrepitus, aurium obauditio.

3. 36. De olfactu etiam non poteſt dubitari, quoniam ſus deque habent, quicquid eis odorandum proponatur.

4. 37. De guſtu non eſt opus, ut longius abeamus, ante omnium oculos poſitum eſt exemplum œnopolarum, qui dum vident convivas bene madidos eſſe, vinum multâ aquâ permiſtum ſolent illis apponere.

38. Unde apud Johannem communis hominum mos indicatur, qui in conviviis vinum illud quod deterius eſt ultimo loco ſoleant apponere, quod hoſpites de bonitate eius tum minus poſſint judicare.

39. Quatuor autem hi ſenſus exquiſitiores ſunt quàm tactus,

ctus, qui magis terreum habet inſtrumentum, & non ita facilè læditur, certum tamen eſt etiam in hoc ſenſu læſionem fieri, quia plerisq; dolor caput infeſtare ſolet. 5.

40. De noxa ſenſuum interiorum etiam res manifeſta eſt, ſiquidem delirium certam horum ſenſuum læſionem arguit.

41. Etſi enim delirium propriè pertinet ad ſenſum communem, tamen etiam aliquo modo ad φανταστικὴν & μνημονευτικὴν δύναμιν poteſt referri.

42. In motu voluntario læſionem factam eſſe teſtatur titubatio ebrioſorum, hinc querela illa Chremetis apud Terentium, neq; pes neq; manus officium ſuum faciunt.

43. Læſio autem actionum fit dupliciter, aut quod omninò non fiunt, aut quod malè fiunt.

44. Omninò non fiunt quando penitus ſunt deſtructæ, qualis eſt totalis ipſarum privatio, aut cæcitas, ſurditas, ἀπεψία.

45. Malè fiunt cum actiones ſeu functiones non integrè præſtantur, idq; dupliciter, aut diminutè, aut corruptè.

46. Diminutè, cum functio eſt remiſſior, cuiusmodi eſt obauditio, difficilis concoctio, expulſio debilis.

47. Depravatè, cum ob errorem quendam externum lædi contingit, cuiusmodi eſt δυχυεία, aurium ſibili difficilis reſpiratio.

48. Hoc poſtremo modo actiones in ebriis perficiuntur, non enim penitus ſunt deſtructæ, neque & diminutè fiunt, ſed potius corruptè & depravatè.

49. Illud probatu proclive eſt ex immoderato & alieno calore, qui propriè hanc δύναμιν corrumpendi habet.

50. Nam ut teſtantur Medici, alienus calor commovet & corrumpit, à frigore verò eſt totalis deſtructio, frigus pigritiam

gritiam inducit & torporem, unde etiam pigrum frigus dicitur.

51. Accedit etiam illud quod omnia perperam & cum exceſſu & pravitate atq; turbulentiore impetu quàm pro naturæ inſtituto peraguntur.

52. Non tamen admodum refragamur, ſi quis dicat in quibuſdã actiones diminutè potius quàm depravatè fieri, præſertim in iis quibus per crebras heluationes cerebrum planè eſt vitiatum, & jam morbum proprium contraxit, tunc enim læditur per ſe à morbo κατ' ἰδιοπάθειαν.

53. Diximus autem in definitione eſſe manifeſtam & deformem læſionem: Non enim quicunque paulò liberalius in conviviis biberunt continuò ebrii dicendi ſunt.

54. Quicunque enim vinum bibunt ad hilaritatem, neque in exceſſu peccant, illos nullo modo ebrios dicimus.

55. Talem igitur intelligimus ebrietatem quæ ad vehementem exceſſum & inſignem deformitatem declinet. πᾶν γὰρ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον.

56. Subjectum ebrietatis eſſe cerebrum manifeſtum eſt, ſiquidem læſæ actiones arguunt facultatem læſam, facultas autem organum.

57. Jam autem cerebrum eſt propria ſedes & organum animalium functionum, & principium & fons nervorum, ex quo nervi in omnia membra derivantur, velut ex arboris caudice ac trunco ramorum propago ac ſoboles in multa germina diffunduntur.

58. Unde corruptis nobiliſſimis illis partibus, ſtatim animus hominis impeditur quò minus functiones exercere poſſit, hincque etiam neceſſariò demonſtrantur actiones iſtas depravatè fieri.

Ad

59. Ad morbi etiam conſiderationem, à quo hoc ſympto-ma dependet, deveniemus.

60. Suprà diximus omnia ſymptomata habere ſuã ὕπαρξιν à morbo & morbos ſequi propemodum ut umbra corpus.

61. Eum morbum hic intemperiem cerebri calidam & humidam eſſe dicimus.

62. Unde autem hoc probari poſſit quærat aliquis: Signa quibus Medicus in cognitionem morbi devenit adſunt manifeſta.

63. Primò enim ſunt actiones depravatæ, eas verò à calo-re nimio oriri & excitari ſupra in theſibus demonſtravi-mus.

64. Deinde vapores ſunt talis naturæ, ut talem intempe-riem poſſint excitare.

65. Accedit etiam cauſa caloris, nempe potus calidus ha-lituoſus in ventriculum ingeſtus, ubi igitur eſt cauſa calo-ris, ibi quoque ipſe calor.

66. Talem autem hic intelligimus intẽperiem quæ exci-tata ſit per συμπάθειαν, quam cum ventriculo habet.

67. Tanta autem συμπάθεια eſt ventriculi cum capite, ut u-no læſo etiam alterum lædatur.

68. Quod fit ob meatum gulæ ac palati, atque ob inſignes nervos qui ex cerebro in ventriculum derivantur, tum et-iam propter ſitum & locum.

69. Eſt enim caput tanquam tectum domus, & ventricu-lus tanquam focus & culina, quemadmodum igitur omnes fuligines & fumoſitates ſurſum feruntur atque à tecto ex-cipiuntur, ita etiam ex ventriculo omnes vapores & hu-morum tenuiores partes ad caput ſubvehuntur, ibique ex-cipiuntur.

70. Quod igitur addimus δυσκρασίαν hanc per συμπάθειαν fieri clarum eſt, nulla enim in cerebro peculiaris contracta

eſt affectio morboſa à qua propriè cerebrum per ἰδιοπάθειαν lædatur, niſi illa quæ τὸ εἶναι ſuum ab exhalationibus ventriculi habet.

71. Quapropter intemperies hæc non eſt διάθεσις μόνιμος ſeu morbus permanens, ſed morbus qui eſt ἐν τῷ γίγνεσθαι in fieri, ideoque in eorum numero qui χετικοὶ ſeu κατ' χέσιν dicuntur, cum à ſua cauſa, quæ ipſi verè eſt ϲυνεκτικὴ (conjuncta) ita dependeat, ut ea ſublata ſimul intemperies eſſe deſinat.

72. Inſeparabili igitur hac cauſa poſita, pōnitur intemperies, aucta augetur, vigente viget, creſcente creſcit, ceſſante ceſſat.

73. Continens ſiquidem cauſa ſemper conjuncta eſt cum effecto, nec ullo tempore incomitatum relinquit id, cujus eſt cauſa, ſed neque præſenti, neque futuro, neque præterito tempore deſerit effectum.

74. Ac dicitur continens, quod contineat & conſervet effectum, vel quod cauſa & effectum tempore ſint continuata immediatè, unde & ὁμόχρονος dicitur & ὁμοχρονος, quod ſit ſimul γενέσει & χρόνῳ, de hac intelligendus eſt Scalig. quando dicit cauſa immediata protinus cohæret cum effectu.

75. Diximus ſatis de morbo à quo ſymptoma dependet, explicandum etiam nobis eſt quid per partes intellectum velimus.

76. Per partes autem cerebri nervos potiſſimum intelligimus, quibus tanquam inſtrumentis cerebrum utitur in ſenſuum functionibus obeundis.

77. Mentionem quoq; adjecimus ſpiritus animalis, ſiquidem par eſt ratio huius, cũ enim nervi plurima humiditate perfunduntur, ſpiritus etiam qui tanquam lumen quoddam influit in nervos, ſimul etiam alteratur, turbatur atque excitatur.

Ha-

78. Hactenus diximus quæ ad ipſam definitionem pertinuerunt, nunc accingimur ad tractationem cauſarum.

79. Cauſa ebrietatis aut eſt προηγουμένη ſeu δυναμικὴ aut συνεκτικὴ, ſc. proxima ſeu conjuncta.

80. Προηγουμένη ſeu antecedens eſt nimius potus calidus halituoſus immodicè in ventriculum ingeſtus. Cauſæ ebrietatis.

81. Quicunque ergò potus δύναμιν inebriandi habet, dicitur nobis cauſa antecedens ſeu δυναμικὴ.

82. Eiusmodi autem potus multi deſcribuntur, atque in primis vinum hydromeli, apomeli vetus, mulſa, cereviſia, præterea potus ex tritico, ex hordeo, ex ſaligine, oryza, milio panico paratus, quemadmodum fit apud eos, qui Auſtrum inhabitant abſque lupulo, quare etiam mitius inebriat vide Cardan. lib. 8. de plantis.

83. Turcarum potus triplex, ut Scalig. habet exerc. 157. ſ. 1. primus dicitur Tſerbeh, & eſt melicratum aut aqua ſaccharata, alter ex uvis paſſis exemptis gigartis coquunt aqua, in fine addunt parum mellis & aquæ roſaceę, vocatur Hoſſaph, tertius è Sapadecto muſto appellant Pechmez. Turcarum potus triplex.

84. Lactis quoque tenuiſſimas partes ignis vi ſublatas atque à craſſioribus exemptas, quod ſublimare dicitur, Tartari in uſu habent præſentiſſima facultate ad inebrandum.

85. ~~Moſchovitæ quia vino carent, utuntur aqua ex avena deſtillata, nec minus excalefacit aut inebriat quàm vinum.~~ Moschovitarum.

86. In Peru provincia Caribes ſeu Canibales illæ efferatiſſimæ & barbariſſimæ gentes, quæ humanis carnibus veſcuntur (Scaliger hominivoros vocat) ex radicibus potionis genus ſibi conficere ſolent quo utantur, quod idem fit in vicinis quoque inſulis nonnullis. Caribum seu Canibalium hominivororum.

87. Sic quædam etiam aquæ inebriant, ut Plinius refert de Lynceſtis aqua, cuius etiam Ovidius meminit his verſibus:

Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis:
Quem quicunq; parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

88. In Paphlagonia fons eſſe dicitur vini ſaporem referens, & potantes efficiens ebrios.

Aqua ſæpius destillata inebriat.

89. Cardanus expreſsè ſcribit lib. de varietat. itemque de ſubtilitat. quod omnis aqua cum ſæpius deſtillatur vim habeat & efficere poſſit ebrietatem, quia ex deſtillatione incaleſcat, attenuetur & exacuetur, atque vim ignis magis recipiat.

90. Quicunq; igitur potus talem δύναμιν habet inebriandi, dicitur cauſa antecedens ſeu δυναμικὴ ſeu potentialis, nondum enim actu agit, ſed tantum agere poteſt.

91. Hoc autem potu cum nimium repletur ventriculus, neque par eſt ei calor nativus, ut vincat & cōcoquat illum, fit neceſſariò flatus, ac vapores plurimi oriuntur. Siquidem talis eſt vis & natura caloris ut commoveat atque agitet, & humores in majorem amplitudinem diſtendat.

92. Atque illi ipſi agitati & commoti vapores ſunt cauſa συνεκτικὴ interna & proxima ebrietatis.

93. Immediatè enim cerebrum nervos & ſpiritus animales invadunt, immutant, & calore majore accendunt quàm naturæ conveniat.

Causæ adjuvantes.

94. Concurrunt etiam συναίτια ſeu concauſæ quæ quidem non præſtant, ut ebrietas fiat, ſed ut citius fiat.

95. Qualia ſunt primò idonea διάθεσις hominis ad ebrietatem, nimirum ut caput & cerebrum facilimè recipiat vapores & promptiſſimè ab illis alteretur.

De-

96. Deinde etiam ut ſit calidum & humidum, nam ut habet illud philoſophorum, ſimilia à ſimilibus afficiuntur, ſeu omne tale additum ſuo tali, facit illud magis tale.

97. Quapropter vapores calidi à cerebro calidiori non ſolum admittuntur facilè, ſed etiam quodammodo attrahuntur.

98. Ab humido enim cerebro fit fluxibilitas vaporum, ſeu liquefactio, ut nimirum quaſi alimentum ibi inveniant.

99. Huc etiam poteſt referri calor ventriculi, itemque cibi halituoſi & fumoſi, ut allia, cœpe, raphanus.

100. Hucusque definitione explicavimus quis & qualis affectus ſit ebrietas, quibusque excitetur atque oriatur cauſis. Eſſet etiam nobis de effectis ebrietatis agendum, ſed quoniam de his alibi dicendi locus forſitan nobis ſeſe offeret, filum diſputationis noſtræ hîc abrumpemus.

COROLLARIA.

Ebrius & ebrioſus differunt quemadmodum verus & verax, mentiens & mendax, amans & amator. Differentia inter ebrium et ebriosum.

Rectè Claudius Tiberius Nero ob aviditatem bibendi dictus eſt Caldius, Biberius, Mero.

Facetè admodum vinum apud Plautum luctator doloſus appellatum eſt, quòd pedes captet primùm.

Quod quidam tum potiſſimum de religionibus & fidei Chriſtianæ myſteriis contentioſiſſimè & clamoſiſſimè diſputant, cum nimio cibo & potu diſtenti ſunt graviſſimè peccant.

Cum Demoſtenes inquit, Philippum magnitudine rerum geſtarum ebrium eſſe, utitur Emphatica metaphora.

Sobrius & ebrius ſunt privantia: ſed quæritur utrum eorum ſit propriè privans? Talæus affirmat hoc ex Etymologia grammatica de ſobrio, ſed Melanchthon reſpondet negatè, eò quod privatio ſit abſentia rei bonæ.

Ebriolus etſi ſignificet parum vel mediocriter ebrium, tamen cum dicitur ebriolus puer, accipi poteſt hoc pro ebrio puerolo: ſic eburneola fiſtula Ciceroni eſt parva fiſtula eburnea.

Rectè pronunciat Scaliger vinum eſſe conviviorum animam.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus, etſi Melanchthoni ſit enunciatio, tamen ſyllogiſmus eſt δυνάμει, ſententia enim eſt Homerum veriſimilem eſſe vinoſum, quia laudavit vinum.

Τῷ μόνῳ δόξα θεῷ.

Ad

AD RESPONDENTEM.

Qualis ſit ebrioſus me rogas homo,
Flemminge: Dicam. Per Jovem non eſt homo.

D. WaſiusF.

MORUM INTEGRITATE, ERUDITIONE & virtute præſtanti juveni Ludovico Flemmingio, F.

Ut tot magnificis celebrem Damiata triumphis
Reddidit Heroëm Ludovicum Marte calentem,
Lilia Francorum generoſo corde tuentem,
Ac Saracenorum ſtrages, tot ſigna trophæis
Ampla, tot exuviæ belloq; tot arma reperta,
Tot currus, aquilæ, monumentaq; fortia rerum
Victorem referunt, ad divitis oſtia Nili,
Dum Francis celebrem peperit cum laude triumphum.
Sic te victorem referet Divinus Apollo,
Ac tua præcinget fragranti tempora myrto,
Dum tu luxuriem ſqualidam, Bacchumq; propulſas,
Ac Sophiam, Divûm munus, virtute tueris
Conſilium Divum; *Fulges tua tempora circum*
Francicus ut fulget Ludovicus, Lilia *ſervans.*

Ludovicus Flemmingius per anagr. Cōſilium Divum; Fulges.

H. Kornman.

AD ORNATISSIMUM, PIETATE AC ERUDITIONE

excellentem juvenem, Dn. Ludovicum Flemmingium *Treiſenſem, Affinem, fautorem & concivem ſuum colendum.*

Miles ut in bello fortis certamina ſumens,
Hoſtibus in medio tela movere ſolet.

Nonq;

Nonq; reformidat frameam, vel quælibet arma,
Sed galeâ indutus, digladiatur acer.
Sic juvenis debet, Clariis qui militat arvis,
Aſſiduus, clypeum ritè movere ſuum.
Cumque ſuus furiis inſurgit atrocibus hoſtis,
Hunc ipſum pedibus ſubjicere arte poteſt.
Ergò tuo Affinis gladio circundatus eſto,
Atque adverſantes è regione nota.
Gloria victori eſt, dulcis Ludovice triumpha,
Nulla fugæ ratio, vividus hoſtis adeſt.
Vince, tibi cingent juvenilia tempora Muſæ,
Annue Phœbe precor, vox ſonat hoſtis adeſt.

Gualtherus Mylius Treiſenſis.

FINIS.

J598
G576d
10-95